

continentur substantialiter in ipso Eucharistiæ sacramento.

Ad 2, dicendum, quod per Ordinem et confirmationem deputantur fideles Christi ad aliqua specialia officia, quæ pertinent ad officium principis. Et ideo tradere hujusmodi sacramenta, pertinet ad solum Episcopum, qui est quasi princeps in Ecclesia. Per sacramentum vero Eucharistiæ non deputatur homo ad aliquod officium, sed magis hoc sacramentum est finis omnium officiorum, ut dictum est (in cor. art.).

Ad 3, dicendum, quod character sacramentalis, sicut supra dictum est (q. 63, art. 3), est quedam participatio sacerdotii Christi. Unde sacramentum, quod ipsum Christum conjungit homini, est dignius sacramento, quod imprimit Christi characterem.

Ad 4, dicendum, quod ratio illa procedit ex parte necessitatis; sicut enim baptismus, cum sit maximæ necessitatis, est potissimum sacramentorum, sic Ordo et confirmatio habent quamdam excellentiam ratione ministerii, et matrimonium ratione significationis. Nihil enim prohibet aliquid esse secundum quid dignius, quod tamen non est dignius simpliciter.

COMMENTARIUS.

1. D. Thom. rationes explicantur. — Extrema unctio an ad Eucharistiam ordinetur. — Circa hunc articulum observandus est canon tertius Concil. Trident., sess. 7, de Sacram. in genere: Si quis dixerit, hæc septem sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit. Ex quo non colligitur tanquam de fide certum, omnia sacramenta esse inæqualia in perfectione; sed hoc solum, non omnia esse æqualia. Quod saltem est de fide certum ratione comparisonis, quam hoc loco D. Thom. facit; quoniam saltem necesse est confiteri, Eucharistiæ sacramentum perfectius esse cæteris, ut idem Concilium non obscure docuit sess. 13, c. 1, 2 et 3, et infra de illo sacramento specialiter disputantes latius dicemus; nunc sufficiant rationes D. Thom. Circa quas est observandum secundo, perfectionem sacramenti posse considerari, vel in esse ipsius sacramenti, vel in ratione causæ, seu finis aliorum sacramentorum, vel in effectu gratiæ seu in virtute conferendi illam. Juxta primam comparisonem procedit prima ratio D. Thom. Et est res manifesta, suppositis principiis fidei. Nam Eucharistiæ sacramen-

tum et est res permanens, et in se complectitur realiter et substantialiter ipsum Christum; ergo in esse suo est perfectius cæteris sacramentis. Unde fit etiam, superare reliqua in ratione signi, quia reliqua immediate significant gratiæ effectum, hoc vero significat ipsum Christum, quem continet, et ultra hoc significat etiam gratiam, quam confert, ut est animarum cibus. Juxta secundam comparisonem procedit secunda ratio, et oritur ex præcedenti. Nam quia Eucharistia in suo esse est ita perfecta, ut in se Christum contineat, ideo ad illam, ut ad finem, ordinantur cætera sacramenta. Quod solum in extrema unctione aliquam difficultatem habet, quam hic tetigit Cajetanus, quia extrema unctio quoad usum est ultimum sacramentorum, quantum est ex vi suæ institutionis. Nam ordinatum est, ut post cætera sacramenta in extremo vitæ periculo accipiatur; ergo non ordinatur ad Eucharistiam. Respondet autem Cajetanus quodammodo dici ordinari ad Eucharistiam ratione effectus; tollit enim reliquias peccatorum, et perfecte mundat animam, quæ est optima dispositio ad unionem cum Christo, quam facit Eucharistia. Adde præterea, quia Christus est præsens in Eucharistia, quod ordinatur ad perfectiorem unionem cum Christo, quantum in se est, ordinari etiam posse ad digniorem hujus sacramenti sumptionem, ut in præsentem per sacram unctionem homo sit habilior et melior dispositus ad recipiendum Eucharistiæ sacramentum, si velit illud postea suscipere, ut potest interdum accidere. De matrimonio vero ipse D. Thom. explicat, ratione significationis ordinari ad Eucharistiam, quia significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, quam Eucharistia perficit. Potest vero non improbabiliiter dici, sacramentum matrimonii, specialiter ordinatum esse ad moderandam carnis concupiscentiam, ut qui filiorum procreationi incumbunt, magis idonei sint ad purissimum Eucharistiæ sacramentum suscipiendum.

2. De tertia comparisonem D. Thom. nihil dixit, nec in illa quidquam certum, aut definitum invenio; nam licet propter Christi præsentiam videatur probabile, sacramentum Eucharistiæ (stante æquali dispositione subjecti) majorem gratiam conferre, quam cætera, tamen aliunde, quia hoc sacramentum institutum est, veluti ad continuam nutritionem, et consequenter, ut sæpius ac frequentius recipiatur, ideo non videtur necessarium, ut quoties recipitur, toties majorem gratiam

conferat, quam baptismus semel susceptus, vel quam confirmatio, aut Ordo. Est itaque res incerta; D. Thom. autem videtur priorem partem insinuare; nam simpliciter præfert Eucharistiam omnibus sacramentis; postea vero comparat cætera inter se, quæ comparatio maxime videtur, quoad effectum intelligenda; ergo in eadem re præfert Eucharistiam cæteris.

3. Tertio igitur, circa ultimam partem corporis articuli advertendum est, D. Thomam inter cætera sex sacramenta hunc ordinem præfectionis constituere, ut primum locum teneat Ordo, secundum confirmatio, tertium baptismus, quartum extrema unctio, quintum poenitentia, sextum matrimonium. De qua comparatione multa dici possunt, nam fere in omnibus sacramentis est aliquid excellens et singulare, in quo cætera superant; sed hoc pendet ex notitia omnium sacramentorum, et ideo hæc comparatio melius in singulis fiet.

4. Solutiones argumentorum non indigent explicatione, et quæ Cajetanus notat circa solutionem ad 2, ex dictis sunt satis explicata.

ARTICULUS IV.

Utrum omnia sacramenta sint de necessitate salutis (4, dist. 7, quæst. 11, art. 1, quæst. 2, et quæst. 3, art. 2, quæst. 1).

1. Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod omnia sacramenta sint de necessitate salutis. Illud enim, quod non est necessarium, videtur esse superfluum. Sed nullum sacramentum est superfluum, quia Deus nihil facit frustra. Ergo omnia sacramenta sunt de necessitate salutis.

2. Præterea, sicut de baptismo dicitur: Nisi quis renatus fuerit ex qua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei, ita de Eucharistia dicitur Joan. 6: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Ergo sicut baptismus est sacramentum necessitatis, ita et Eucharistia.

3. Præterea, sine sacramento baptismi potest aliquis salvus fieri, dummodo non contemptus religionis, sed necessitas sacramentum excludat: ut infra (quæst. 68, art. 1, et 2) dicitur. Sed in quolibet sacramento contemptus religionis impedit hominis salutem. Ergo pari ratione omnia sacramenta sunt de necessitate salutis.

Sed contra est, quod pueri salvantur verum solum baptismum sine aliis sacramentis.

Respondeo dicendum, quod necessarium respectu finis (de quo nunc loquimur) dicitur aliquid dupliciter. Uno modo sine quo non potest haberi finis, sicut cibus est necessarius vitæ humanæ. Et hoc est simpliciter necessarium ad finem.

Alio modo dicitur esse necessarium id, sine quo non habetur finis ita convenienter, sicut equus necessarius est ad iter. Hoc autem non est simpliciter necessarium ad finem. Primo igitur modo necessitatis sunt tria sacramenta necessaria: duo quidem personæ singulari; baptismus quidem simpliciter et absolute; poenitentia autem supposito peccato mortali post baptismum; sacramentum autem Ordinis est necessarium Ecclesiæ, quia ubi non est gubernator, populus corrumpet, ut dicitur Prov. 11. Sed secundo modo sunt necessaria alia sacramenta; nam confirmatio quodammodo perficit baptismum; extrema unctio poenitentiam; matrimonium vero Ecclesiæ multitudinem per propagationem conservat.

Ad primum ergo dicendum, quod ad hoc quod aliquid non sit superfluum, sufficit, quod sit necessarium primo vel secundo modo, et sic sunt necessaria omnia sacramenta, sicut dictum est (in cor. art.).

Ad secundum, dicendum, quod illud verbum Domini est intelligendum de spirituali manducatione, et non de sola sacramentali, ut Aug. (tract. 26 et 27, tom. 9) exponit super Joan.

Ad tertium, dicendum, quod licet omnium sacramentorum contemptus sit salutis contrarius, non tamen est contemptus sacramenti, ex hoc quod aliquis non curat accipere sacramentum, quod non est de necessitate salutis: alioquin omnes, qui non accipiunt Ordinem, et qui non contrahunt matrimonium, contemnerent hujusmodi sacramenta.

COMMENTARIUS.

1. De qua necessitate sit intelligenda quæstio. — Quæstio hujus articuli intelligenda est de necessitate, quæ orta est ex institutione sacramentorum, quia ante institutionem nulla poterat esse necessitas; et ipsius institutionis non tam fuit necessitas, quam utilitas, vel congruentia, de qua supra dictum est. Ex institutione autem duplex potest intelligi orta necessitas: una vocatur necessitas medii, altera vero, necessitas præcepti; quas voces

latius infra explicabimus, de baptismo, et de Eucharistia disputantes. Nunc breviter sciendum est, illud dici necessarium in præsenti, quod ad vitam consequendam necessarium est. Quo fit, ut tota hæc necessitas sit in ordine ad finem, et consequenter, quod tota dici possit necessitas medii, generali quadam ratione loquendo, quia quidquid est necessarium ad finem, præsertim si tempore antecedit consecutionem finis, merito dici potest medium ad finem necessarium. Rursus, quoniam sacramenta in humanis actibus consistunt, qui per se et natura sua non sunt ad vitam æternam necessarii, hinc consequenter fit, ut non possit in eis reperiri necessitas medii respectu ad ultimum, nisi supposito aliquo præcepto, per quod inducatur illa necessitas. Quin potius generaliter verum est, nullum esse medium necessarium ad salutem, quod in actione hominis consistat, quod non sit etiam præceptum; quamvis in quibusdam præceptum et necessitas oriatur ex natura ipsorum actuum; in aliis vero tota oriatur ex præcepto, et extrinseca institutione, et hujusmodi sunt sacramenta. Quocirca sub hac ratione generali quodlibet sacramentum, quod est necessarium, ut medium, potest dici necessarium necessitate præcepti, et e contrario quodcumque sacramentum cadens sub præcepto potest etiam dici necessarium necessitate medii, eo modo, quo observatio mandatorum est medium ad salutem necessarium. At vero propria quadam et speciali consideratione distinguuntur illæ duæ rationes, quia necessitas præcepti solum requirit, quod præceptum sit impositum; necessitas autem medii in sacramentis ultra id consistit in hoc, quod sacramentum sit per se institutum ad conferendum effectum ad salutem necessarium, tanquam propria causa illius, et per se loquendo atque ex vi institutionis ad illum necessaria; quomodo baptismus est necessarius ad salutem.

2. *Sacramenta omnia utilia, non tamen omnia necessaria.* — *Tria sacramenta necessaria.* — De hac ergo necessitate medii loquitur D. Thom. hic, ut constat ex principio articuli. Atque ita respondet primo, quamvis omnia sacramenta sint utilia ad salutem, non tamen omnia esse necessaria. Quæ assertio clara est, nam constat, confirmationem, extremam unctionem, et matrimonium, non esse media ad salutem necessaria, cum non ordinentur ad effectus simpliciter necessarios; quatenus vero gratiam præstant, manifestum

est esse valde utilia. Solum de matrimonio oportet advertere, utilitatem ejus non tam esse considerandam respectu singulorum, quam respectu multitudinis, propter quam per se primo institutum est; nam simpliciter ac per se loquendo, respectu singulorum, sicut unicuique melius est castitatem servare quam copulari conjugio, ita simpliciter non est utilius hoc sacramentum propter effectum ejus, quam privari effectu ejus propter virginitatem servandam; ex hypothesi autem (ut sic dicam) id est, supposito quod matrimonium contrahendum est, seu respectu eorum, qui illud contrahere decreverunt, tale sacramentum utilissimum est. Secundo ait D. Thomas tria sacramenta esse necessaria ad salutem: unum, respectu corporis Ecclesiæ, quamvis non respectu singulorum, scilicet sacramentum Ordinis, sine quo, neque hierarchia Ecclesiæ posset consistere, neque alia sacramenta confici possent, vel simpliciter, vel modo debito. Duo vero, respectu singulorum, scilicet, baptismum absolute respectu omnium, quia omnes in originali peccato nascuntur; poenitentiam vero respectu eorum, qui post baptismum mortaliter peccaverunt, quia remissio talis peccati ad salutem necessaria est; et ad hunc effectum institutum est hujusmodi sacramentum. De sacramento autem Eucharistiæ non meminit D. Thom. in corpore articuli, quamvis aliorum sex sacramentorum mentionem fecerit; tamen cum tantum dicat, tria sacramenta esse necessaria, plane sentit, reliqua non esse necessaria, alioquin valde ambiguus esset in doctrina tradenda. Ac præterea in solutione ad secundum, cum argumentum eo tenderet, ut concluderet sacramentum Eucharistiæ esse necessarium, quia Joan. 6 dicitur: *Nisi manducaveritis*, etc., respondet in forma, inde non colligi necessitatem, quia illud verbum Domini (inquit) est intelligendum de spiritali manducatione, et non de sola sacramentali. Est ergo hæc aperta sententia D. Thom. hoc loco, quam infra latius tractaturi sumus, ubi etiam expendemus expositionem verborum Christi, quam hic D. Thom. tradit. Hic vero attente sunt ponderanda verba ejus; non enim negat D. Thom. Christum in verbis illis loqui de sacramento Eucharistiæ, nec de manducatione sacramentali, quia non sine causa addidit dictionem exclusivam, dicens: *Et non de sola sacramentali*; non ergo negat, Christum loqui de illa, sed de illa sola, quod valde diversum est; sentit igitur, verba illa

SECTIO I.

Quid sit cæremonia seu sacramentale.

intelligi posse de manducatione sacramentali vel spiritali, quod tamen verum non esset nisi de sacramento essent intelligenda, quia Christus non potest sacramentaliter manducari nisi in sacramento; licet in eo etiam possit spiritaliter manducari, et hic modus manducationis sufficere possit ad implendum id, quod in prædictis verbis Christi continetur, juxta expositionem D. Thom., quam, ut dixi, in proprio loco examinabimus.

3. *Can. Trident. juxta doctrinam D. Thom. intelligendus.* — Colligitur tandem ex doctrina hujus articuli, quomodo intelligendus sit canon Concilii Trident., sess. 7, can. 4 de Sacramentis in genere, ubi condemnat dicentes, sacramenta non esse necessaria ad salutem. Utrumque enim voluit comprehendere, quod in dictis assertionibus a D. Thoma explicatum est, scilicet, et omnia hæc sacramenta esse utilia, et absolute loquendo sacramenta esse necessaria, quamvis non omnia; quorum primum indicavit in illis verbis: *Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua; superfluitas enim utilitati opponitur, et si inter sacramenta aliquod esset inutile, tantus sacramentorum numerus esset superfluus, et hoc intendit damnare Concilium.* Secundum vero docuit in verbis sequentibus, quæ per se satis clara sunt. Et hæc sufficiant de necessitate medii in communi. Nam in particulari dicemus in suis locis. De necessitate autem præcepti, quod hic D. Thomas omisit, generatim dicemus in sequentibus disputationibus moralibus; sigillatim vero postea.

DISPUTATIO XV.

DE SACRAMENTALIBUS, SEU CÆREMONIIS
SACRAMENTORUM IN GENERE.

Hanc disputationem prætermisit D. Thomas in hac materia; tamen, cum in singulis sacramentis, de uniuscujusque cæremoniis disserendum sit cum ipsomet D. Thoma, necessarium visum est, hoc loco præmittere ea, quæ communia ac generalia esse possunt. Nam revera, de his sacramentalibus fere omnia illa capita disputari possunt, quæ de sacramentis a nobis sunt generaliter dicta; tamen suppositis his, quæ diximus de sacramentis, brevius poterunt omnia expediri.

1. *Quid sit cæremonia, et ejus nominis origo.* — Prius quærimus quid sit, quam an sit cæremonia, tum quia per se notum est, cæremonias esse; tum etiam quia, sicut de sacramentis diximus, non potest in his rebus, vocis significatio satis exponi, nisi simul intelligatur, quid res ipsa sit. Advertendum est igitur in primis, nomine cæremoniae, si primam hujus vocis impositionem vel etymologiam attendamus, significari posse omnem cultum Dei externum, qui certo ac definito ritu fit ob majorem Dei reverentiam. In hac enim significatione Latini omnes ea voce utuntur, quam omnes etiam ducunt a Cære Italiæ oppido, vel a verbo cærendi, ut videre licet in D. Thom., 1. 2, quæst. 99, art. 3, et D. August., 2 Retract., cap. 37, et in hac fere significatione sumitur cæremonia in Scriptura veteri, ubicumque de legalibus cæremoniis agitur. Atque ita sub hac voce comprehenduntur sacramenta, sacrificia, sacra et observantiae, ad quæ quatuor capita revocat D. Thomas, 1. 2, quæst. 101, art. 4, omnes legis veteris cæremonias. Ex quibus duo prima quid sint, satis est in superioribus expositum; et de sacrificio dicemus in particulari postea tractantes de missa; sacra autem vocantur a D. Thoma ea, quæ sunt veluti instrumenta, aut res deputatæ ad sacrificia peragenda, aut sacramenta ministranda, ut sunt vasa sacra, vestes, templa, et si quæ sunt alia similia; observantias autem vocat, omnes actiones, quibus cultores Dei utuntur, ut eis sese ad cultum Dei disponant, ut sunt jejunia, genuflexio, usus signi crucis, et similia. In præsentis vero materia non utimur nomine cæremoniae in hac amplissima significatione, sed aptamus illam ad cæremoniam sacramentalem, et a Theologis appellari solet simpliciter sacramentale. Qua voce significamus actiones quasdam vel circumstantias religiosas, quas in sacramentorum administratione, vel sacrificii oblatione, Ecclesia observat, præter eas, quæ sunt de essentia seu substantia sacrificii, ut sunt, verbi gratia, in baptismo, unctio, exorcismus, et alia hujusmodi.

2. *Cæremoniarum varietas quanta.* — Secundo est observandum, cæremonias has, si materialiter (ut ita dicam) sumantur, et varias et multiplices esse, ita ut per omnia præ-